



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Theologia Moralis

Antehac ex probatis Auctoribus breviter concinnata

**Busenbaum, Hermann**

**Coloniæ Agrippinæ, 1707**

Q. 260. An condemnari possit, qui nequidem in tortura est fassus crimen.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-42600**



1474 *Sequitur, si quis in ebrietate etiam voluntaria homicidium improvisum commiserit, Judicem posse ei non irrogare gravem poenam corporalem homicidio decretam, uti docent Clarus, Tholos. Vasq. Mol. de just. T. 3. d. 38.; potestque videri Gob. in Quin. T. 5. c. 20. s. 2., ubi hanc quaestionem bene tractat. Et quod in casu ebrietatis dictum est, valet in similibus.*

1475 *Q. 260. An condemnari possit, qui nequidem in tortura est fassus crimen. R. Negative, quia si de tali crimine certò constabat, antequam torqueretur, ergo malè tortus est, quia tortura est ad cognoscendam & non ad confirmandam veritatem: si non constabat, ergo nec jam constat: imò juxta communem cum Farinac. & Delrio l. 5. s. 9. omnia indicia & probationes sunt purgatæ per torturam, quia sicuti leges permittunt durum illud medium explorandæ veritatis, ita volunt eum credi innocentem, qui nequidem per torturam adductus est ad fatendum, ergo iniquum est reos subicere rigori legum, & vicissim non permittere ut gaudeant reciproco favore earum, Spe d. 39.*

1476 *Q. 261. Quid dicendum sit, si reus revocet aliquid in loco supplicii. R. Etsi revocatio non statim præsumenda sit vera, est tamen ejus habenda ratio, uti rectè Spe d. 40. contra Binsf. & Delrio, Ratio est 1., quia nemo censerì debet velle cum mendacio mori, uti dicit etiam Gl. in Cap. litteras, de præsumpt. 2. Si antedictis credendum est, etiam hic credi potest, maximè si adsint circumstantiæ suadentes. 3. Judices denunciationibus morte confirmatis multùm tribuunt, ergo etiam aliquid tribuere debent huic revocationi. 4. Constit. crimina. Carolina Cap. 91. dicit, quamvis revocatio ipso die judicii videretur facta ad impediendum juris processum,*